

valuerat inter sciolos ac vanos Academicos, quorum articuli censura Parisiensi notati aut ipsam involvunt, & latenter significant, aut efferunt apertissime. Hujusmodi sunt 117. *Scientia Magistri, & Discipuli est una numero: ratio autem, quod intellectus sit unus . . . 121. Intellectus, qui est ultima hominis perfectio, est penitus abstractus. 125. Intellectus speculativus simpliciter est æternus, & incorruptibilis: respectu vero hujus hominis corrumpitur, corruptis phantasmatibus; per quæ scilicet, veluti per instrumenta, agere aut intelligere dicebatur intellectus agens. Commento putidissimo adversa sunt ex diametro Sancti Thomæ dogmata: tot rationales individuali differentia animos distingui, quot homines numeramus: juxta numerum rationalium animorum ipsam etiam multiplicari intellectum, tum agentem, tum possibilem, ut ævo illo distinguebant, & loquebantur: præter specificam animorum & intellectuum nobilitatem, quæ singulis communis est, gradus alios modoque perfectionis distingui oportere in intelligendo: quorum alii originem habent à phantasmatibus, & alii ex ipso promanant individuationis principio. Hinc solida ratio patet, quæ per moti Viri Doctissimi contendunt, non illud Stephano Tempier Episcopo Parisiensi consilium inesse potuisse, quod ipsi tribuunt æmuli Sancti Thomæ, ut quas theses docuit Aquinas, vulgavitque in scholis, tametsi damnatis articulis fortasse consonæ verbis tenus viderentur, sua notare censura voluerit. Successoris etiam Stephani de Burreto prudentia maxime elucet, qui censuram Decessoris eo adhibito temperamento abrogandam abolendamque declaravit: *quatenus videlicet tangebatur, aut potius tangere adserbatur sanam doctrinam Sancti Thomæ.* Impudens fuerat vanorum hominum facinus, qui Averroisticos, aliosque errores facilius ut propinarent, sub innoxia doctrinæ, quam Aquinas & Magistri apud catholicos tradiderunt, cortice rectos palliatosque vulgabant.*

VI. At philosophicæ quædam occurrant à Divo Thoma propugnatae theses, quas censoria virgula dubio procul omni juxta ipsius Thomæ sensum notarunt Archiepiscopi duo Cantuarienses in Anglia, Robertus de Kilduvarbi Ordinis Prædicatorum, & Joannes Pekamus ex ordine Minorum adsumptus. In ea quam tulit Kilduvarbius, censura legitur capite 111. num. 12. apud Carolum Duplessis D. Argentri sæpe laudatum: *Item quod vegetativa, sensitiva, & intellectiva sunt una forma simplex, vel simpliciter: nimirum in homine. Thesis est in Decreto Pekami confixa anno 1286. num. 8. Quod in homine est tantum una forma, scilicet anima rationalis: & nulla alia forma substantialis.* Hanc getmanam esse doctrinam Sancti Thomæ, quam Parisiis coram palamque in scholis tradidit, scriptamque suis passim in Operibus reliquit, dubium nullum est. An eadem ergo pro damnato errore haberi debeat?

Nolim ego prolixam de philosophica thesi quæstionem instituire, veterum ac recentium Philosophorum hac de re placita enarrare, ac diligentius inquirere in illos unionis mentis cum corpore modos, qui multiplices excogitati sunt. In ea versabatur Aquinas verissima sententia, quæ rationalem animam seu mentem insciabatur, vel motorem esse præsentem corpori veluti machinæ motæ, ut ajebat Plato, vel separatam intelligentiam corpori adstantem, excipientemque phantasmatibus, ut Averroes inquiebat. Consule caput LVII. & sequentia Libri secundi contra Gentiles. Adserbat vero rationalem eandem animam facultate intelligendi præditam, esse veram corporis formam, unam cum corpore efficientem substantiam: quod ea exponebat ratione, quæ cæteris ejus ævi Magistris communis erat. Dissidium fervebat, num una foret in homine hujusmodi forma substantialis, ex qua omnes proficiscerentur energię, vita, sensus, intellectiones, an totidem multiplicari substantiales formas oporteret, quot illæ sunt præfatae energię? Partem priorem amplexus est Aquinas, ab eaque discessit numquam: solidumque causæ, quam tratabatur, præsidium in eo positum erat, quod ultro ejus ætatis Doctores admittebant, mentem esse veram corporis formam, ac totius compositi partem.

Ac sane invidiam, quam prædictæ opinioni inferre conabantur nonnulli, amolitur omnem prudentissimum judicium, quod illa etiam ætate Doctissimi Viri de prædictæ censuræ & levitate, & excessu rulerunt. Plura jam dedimus hac de re in superiore Admonitione. Kilduvarbium Archiepiscopum Cantuariensem gravissimis datis literis insequutus est Guillelmus de Morbeca Archiepiscopus Corinthi: præcipitemque latam ab ipso in theses, aut innoxias, & probabiles, aut etiam verissimas, censuram contendit. Testatur Guillelmus Ochamus in Dialogis P. I. Lib. II. cap. xxiv. *plures alios ipsam (Kilduvarbii) damnationem putasse temerariam: pluresque Parisienses Doctores, & scholares asseriones damnatas à dicto Archiepiscopo publice tenuisse.*

Godefridus de Fontibus, clarissimum in Parisiensi Universitate lumen, latissimam instituit Quodl. III. Art. 5. tractationem de Thesi illa, quæ in Decreto alterius Archiepiscopi Cantuariensis, Joannis Pekami, damnata legitur. Damnationis causas perquirat, ac patefacit, quæ videntur esse consecratoria quædam, inde deducta: *Quod scilicet Corpus Christi, vel alterius hominis, quantum ad formam, sit aliud vivum, & mortuum: vel divisum, non idem numero.* Hæc porro efferuntur consecratoria in septem prioribus articulis à Pekamo damnatis. Quænam mens esset Godefridi, quænam Parisiensium Doctorum, ipse aperit Godefridus loco citato: *Parisiis, inquit, non reputatur consequens, vel antecedens continere errorem, qui censoria virgula configi debeat. Immo notatur: Multos Magistros in Theologia nuper scripsisse quod nesciunt, illum ar-*

ticulum (de una forma in homine) ex quo omnes alii articuli sequuntur, esse habitum pro hæresi, vel errore. Unde etiam nec Parisiis habetur pro errore: *Quod Corpus Christi, vel alterius hominis, quantum ad formam, sit aliud vivum, & aliud mortuum, vel divisum: licet esset error ponere de Corpore Christi, quod non sit idem, quantum ad suppositum, vivum & mortuum; in quo tamen non est simile in aliis hominibus.* Palam est, Anglicanam Pekami censuram vix agnitam fuisse Parisiis, ipsamque insuper habitam contemptamque.

Verum impactos demum errores præoccupaverat Sanctus Thomas, profligavitque tum junior in Quodlibetis, tum ætate ac sapientia provectus in Summa Theologica. Verba refero quæ habentur Quodlibetis. II. art. 1. De Christo in triduo mortis dupliciter loqui possumus. Uno modo quantum ad hypostasim vel personam: & sic est idem numero simpliciter, qui fuit. Aut quantum ad naturam humanam, & hoc dupliciter. Uno modo, quantum ad totam naturam, quæ humanitas dicitur: & sic Christus non fuit homo in triduo mortis, unde nec idem homo, sed eadem hypostasis. Aut quantum ad partem humanæ naturæ: & sic anima quidem fuit omnino eadem numero, eo quod non est transmutata secundum substantiam: corpus vero idem numero secundum materiam, sed non secundum formam substantialem, quæ est anima. Unde non potest dici, quod simpliciter fuerit idem numero, quia quælibet differentia substantialis excludit idem simpliciter. Postremam istam sententiæ partem magis illustrat Doctor Angelicus in Summa Theologiae P. III. quest. 1. art. 5. ipsamque sententiam tenet, ac vindicat: Dicendum, inquit, quod hoc quod dicitur, eo simpliciter, potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod simpliciter idem est quod absolute: sic, ut simpliciter dicitur quod nullo addito dicitur. Et hoc modo Corpus Christi mortuum, & vivum simpliciter fuit idem numero: dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter, quia est suppositum idem. . . . Alio modo simpliciter idem est, quod omnino, vel totaliter: & sic Corpus Christi mortuum, & vivum non fuit simpliciter idem numero, quia non fuit totaliter idem, cum vita sit aliquid de essentia corporis viventis &c.

Hinc latissimum, quod inter Corpus Christi vivum & mortuum, ac inter vivum & mortuum alterius hominis corpus, versatur discrimen, loco citato explanat Aquinas ad 1. *Quod corpus mortuum cujusque alterius hominis non remanet unitum alicui hypostasi permanenti, sicut Corpus Christi mortuum: & ideo corpus mortuum cujuscumque alterius hominis non est idem simpliciter, sed secundum quid; quia est idem secundum materiam, non autem idem secundum formam.* Amplioribus vindiciis doctrina Aquinatis non eget: ipsumque demum, quod ad sanctorum reliquias attinet, ex quibus objectionem promunt Adversarii, consule in eadem tertia parte q. xxv. art. 6. ad 3. sic differentem: *Corpus mortuum alicujus Sancti non est idem numero quod primo fuit dum viveret, propter diversitatem formæ, quæ est anima: est tamen idem identitate materiæ, quæ est iterum suæ formæ unienda.* Subtiliorem quædam adnectunt discipuli Sancti Thomæ quæstionem de quantitate, an eadem remaneat in corpore vivo, & mortuo: qua de re vide Liberium à Jesu Carmelitam exalceatum, in Controversiis Dogmaticis Tomo I. Parte II. disp. iv. contr. xiv. num. 77.

VII. Veterum adversariorum conatus & imperus in doctrinam Sancti Thomæ nemo prudens, ut puto, satis superque cohibitos compressosque non videt. An recentiores nonnulli, maximeque Petrus à Valle clausa, & Joan. Baptista Poza propitio Marte pugnam instituerint, videndum est. Mendum certum compertumque in editionibus *Primæ Secundæ*, ubi Arcæ propitiatorum dicitur *lapideum*, ac si ex mente & calamo Sancti Thomæ exciderit, exaggerat prior ille Petrus à Valle clausa, seu sub eo nomine latens Theophilus Raynaudus. Id vero in hujusce Admonitionis postremo loco ad examen vocandum est. Verba refero quæ habentur in Diatriba vi. de immunitate Cyriacorum: *Dixerat Sanctus Thomas 1. 2. quest. ci. art. 4. ad 6. Propitiatorium fuisse lapideum.* Hoc Thomas de Lemos . . . in Romana editione Summæ, abque ulla veterum codicum fide ex suo cerebro mutavit, facta lapidis mutatione in lignum . . . Quamvis, quod Lemos erasit, falsum esset: & quod ipse substituit, sit verissimum; tamen mentitur qui ait, Sanctum Thomam in re proposita dixisse veritatem, ut ei Lemos falsarius attribuit. Fateor ego, pleraque proflare mendo vitata typis edita exempla, in quibus loco citato ita legimus: *Hæc autem arca sita erat inter duos Cherubim, qui se mutuis vultibus respiciebant: & super arcam erat quædam Tabula lapidea, quæ dicebatur Propitiatorium, super alas Cherubim quasi ab ipsis Cherubim portaretur.* At hoc mendum Thomæ auctori adscribendum esse, id utique est quod intrepidus inficior.

Tabulam hanc, non lapideam, verum de auro mundo, & de auro mundissimo constructam, luculentissime testatur sacer Exodi Liber capite xxv. verso 17. & capite xxxv. verso 6. An ita perfunctorie, & oscitanter divina lustrasse eloquia Sanctum Thomam putas, ut imperitissime lapideam existimaverit tabulam illam quæ erat Propitiatorium? Calumniam amolitur omnem ipse Thomas Lectione 1. in capite 1x. ad Hebræos ubi hæc habet disertissima. *Inter duas autem alas, quibus tangebant se, erat Tabula aurea: . . . & erat superminens: quæ dicebatur Propitiatorium.* Causa finita est. Dignum veto animadversione, commentarios in hanc ad Hebræos epistolam elucubratos ab Aquinate eo videri tempore quo priores partes Theologicæ Summæ scribebat, vel etiam postea, ut ex lectione prima ad capt. iv. certo colligimus, ubi ait: *De distinctione, ne autem istorum dierum (in creatione mundi) diversimode loquuntur Sancti: aliter enim accipit Aug-*

guitious ab aliis Sanctis, sicut patet *Prima Parte Summæ* (quæst. LXXIV. art. 2. & 3.) "Et iterum: ,, Est enim in ipsis (operibus Dei) duplex perfectio: una secundum partes mundi, quæ sunt cælum, & quatuor elementa; & hæc attenditur penes earum essentiam, sicut habetur in *Prima Parte Summæ*. "An ergo sui immemor scripserit in *Summa* Thomas, Tabulam illam fuisse lapideam, quam alibi eodem circiter tempore verissime vocat *auream*?

Typis edita exempla contra Auctoris mentem vitiata prodisse, negaverit prudens cordatusque nemo. An aliqui fuerint codices manuscripti, ex quibus illa profecta sunt, imperiti librarii vitio depravata? An erraverint illi, qui codices vetustos transcribent, tradebantque typographis descripta folia? Servantur utique vetusti plures in Bibliothecis, qui labe illa sunt immunes: *Salmanticensis* apud Bartholomæum à Medina, *Alcanitiensis* apud Thomam Madalenam, *Parisiensis* apud Joannem Nicolajum, *Vaticani* apud Gregorium Donatum, *Coloniensis* aliique apud Thomam Gravinam, in quibus aut vox illa, *lapidea* desideratur, aut legitur *aurea*. Addo Venetum optimæ notæ in Bibliotheca SS. Joannis & Pauli adservatum, in quo vox eadem *lapidea* non compareret. Initium codicis est: *Incipit Prima Secundæ Fratris Thomæ de Aquino de Ordine Fratrum Prædicatorum*; ubi titulus ille, *Fratris*, ætatem codicis indicat ante sacram ipsius Thomæ apotheosim: Ad hæc labis illius, qua sive codices manuscripti, sive typis edita exempla vitiata inveniuntur, origo fortasse fuerit, quam pandit laudatus Nicolajus. Loco nempe citato sic ait S. Thomas: ,, In tabernaculo tria continebantur: scilicet Arca Testamenti, in qua erat *urna aurea* habens manna: & virgæ Aaron, quæ fronderat, & *Tabula* in quibus erant scripta decem præcepta legis. Hæc autem arca sita erat inter duos Cherubim, qui se mutuis vultibus respiciebant: & super arcam erat quædam *Tabula* (lapidea, in mendosis editionibus, vel etiam codicibus,) quæ dicebatur *Propitiatorium*. "Fieri potest ut vox, *lapidea*, in margine scripta è regione *Tabularum*, in quibus decem præcepta legis exarata fuerant, ab imperito librario, vel typographo in textum recepta fuerit, ac *Tabula* illi, quæ dicitur *Propitiatorium*, imperate ac falso attributa.

Jam error Thomæ Aquinatis impactus in auras abit. Quid est vero, quod Raynaudus refert, *Thomam de Lemos* in editione Romana quidpiam mutavisse? Nec Romanam, nec aliam alicubi *Summæ Theologicæ* editionem accuravit umquam Lemosius. Romanæ quidem anni 1570. f. non *Summæ* dumtaxat, sed *omnium Aquinatis Operum* editioni præfuerit Vincentius Justinianus, ac Thomas Manriquez, ut præfixum docet Pii V. Romani Pontificis diploma: ac Romanæ anni 1619. quæ *solum Summam* præstat, suam adhibuit diligentiam Gregorius Donatus. Pergit Raynaudus: *Ex suo cerebro* ille qui Romanæ præfuit editioni, *mutavit: facta lapidis mutatione in lignum*. Immo suo ille ex cerebro hanc profert mutationem, quæ frustra in utraque recensita editione Romana quaeritur, nec in aliis editis exemplis adhuc inventa est.

Fuerunt sacræ scripturæ Interpretes apud Tostatum ad caput xxv. Exodi quæst. xvi. i. quorum erat sententia: ,, Arcam habuisse coopertorium suum, quod esset de lignis setim: secundum quod ex illis coopertorium Arcæ, & esset deauratum intus & foris, sicut tota ipsa Arca: & *Propitiatorium* non fuisse coopertorium Arcæ, sed quamdam Tabulam auream positam ultra coopertorium Arcæ inter duos Cherubim, quasi ipsi Cherubim tenerent ipsam Tabulam Propitiatorii in manibus suis. "Frequentius vero docti Interpretes existimant, Propitiatorium non distingui ab ipso Arcæ operculo: quod alii tamen arbitrantur, adnotante Calmeto, veluti in aera suspensum, super alas Cherubim detentum fuisse, quin tangeret arcam: ipsi arcæ, quam clauderet, ac tegetet, immediate superpositum alii, in cujus finibus duo Cherubim aurei confurgerent, unum cum ipso operculo constituentes opus. Aut illa sententia, quam refert Tostatus, aut prior alia quam memorat Calmetus, placuisse Divo Thomæ videtur, qui 1. 2. quæst. cxi. art. 4. ad 6. docet: *Super arcam fuisse quandam Tabulam, quæ dicebatur Propitiatorium, super alas Cherubim, quasi ab ipsis Cherubim portaretur: & Lectio 1. ad caput ix. ad Hebræos: inter duas alas, quibus tangebant se Cherubim, fuisse Tabulam auream supereminentem, quæ dicebatur Propitiatorium.*

At quæcumque demum seligi debeat interpretatio: *lignea* numquam, nisi falso & imperite, dici potest illa Tabula, quæ *Propitiatorium* vocabatur, sive ab Arcæ operimento distincta, sive ipsum operimentum fuerit, aut suspensum in aera, aut immediate tagens, & tegens arcam. Attamen supinum adeo errorem Thomæ Lemosio, locum Thomæ Aquinatis interpolanti, tribuit Raynaudus: ipsumque amplecti ipse videtur. Nimirum certe obscura sunt, & implexa verba ejus. Ait enim: ,, Quamvis quod Lemos erasit (*lapidea*) esset falsum: & quod ipse substituit (*lignea*) sit verissimum; tamen mentitur qui ait, Sanctum Thomam in re proposita dixisse veritatem, ut & Lemos falsarius attribuit. "Veritatem in re proposita ab Aquinate dictam, patefecimus: eidemque quidpiam in eadem re proposita ab Lemosio tributum, ipsius Raynaudi somnium est. Immo aut ipse turpissime labitur, si *Propitiatorium* fuisse *lignum* credat: aut certe scribit, loquiturque imperitissime. Falsum quippe est, *Tabulam* illam, quæ erat *Propitiatorium*, fuisse *lapideam*: cur ergo ita loqueris, *quamvis esset falsum*? Æque abludivit à vero, *Tabulam* eandem fuisse *ligneam*: cur ergo ita scribis, *quamvis sit verissimum*? Sus deque miscentur omnia.

INDEX

DISTINTIONUM, ET PARTITIONUM TERTII LIBRI
Sententiarum Magistri Petri Lombardi.

DISTINCTIO I.

Propter quid Filius Dei carnem assumpsit.

Quare Filius carnem assumpsit, non Pater, vel Spiritus Sanctus.

Utrum Pater, vel Spiritus Sanctus potuerit incarnari.

An Filius qui tantum carnem accepit, aliquid fecerit quod non Pater, vel Spiritus Sanctus.

DISTINCTIO II.

Utrum totam humanam naturam accepit, & quid nomine naturæ intelligit.

De unione Verbi & carnis mediante anima.

Quod simul assumpsit carnem, & animam Verbum, nec caro prius est concepta quam assumpta.

DISTINCTIO III.

De carne assumpta, qualis ante fuerit.

Quod nullus est sine peccato hic excepta Virgine.

Quare Christus non fuit decimatus in Abraam sicut Levi.

Quare caro Christi non est dicta peccatrix, sed similis.

Quod adversatur illi sententiæ qua dicitur, carnem Christi non prius conceptam quam assumptam.

DISTINCTIO IV.

Quare Spiritui Sancto tribuatur incarnatio, cum sit opus Trinitatis.

Quare dicatur Christus conceptus, & natus de Spiritu Sancto.

Alia ratio quare dicatur natus de Spiritu Sancto.

Quare Apostolus dicit Christum factum, quem nos fatemur natum.

DISTINCTIO V.

Si persona, vel natura personam, vel naturam assumpsit, & si natura Dei sit incarnata.

De parte quæstionis perplexa.

An divina natura debeat dici caro facta.

Quare non accepit personam hominis cum assumpsit hominem, quod quidam probare nituntur.

Oppositiones quibus probatur personam accepisse personam.

DISTINCTIO VI.

De intelligentia harum locutionem, *Deus est homo, Deus factus est homo* &c. tres sententias ponit.

Prima est eorum qui dicunt in incarnatione hominem quemdam ex anima, & carne constitutum, & illum hominem factum esse Deum, & Deum

illum hominem; & auctoritates quibus ita esse asserunt, ponit.

Secunda est eorum qui dicunt hominem illum ex tribus substantiis, vel ex duabus naturis consistere, & hunc fatentur esse unam personam ante incarnationem simplicem tantum, sed in incarnatione compositam, & auctoritates quibus se uniant, ponit.

Tertia est eorum qui non solum personam ex naturis compositam negant, sed etiam aliquem hominem, vel aliquam substantiam ibi ex anima, & carne compositam diffidentur, & sic illa duo, scilicet animam, & carnem, Verbo unita dicunt, ut non ex illis aliqua substantia, vel persona componeretur, sed illis duobus velut indumento Deus vestiretur, ut mortalibus oculis appareret: qui rationem incarnationis secundum habitum accipiunt.

Deinde auctoritates inducit quibus sententia roboratur.

Quatuor species habitus distinguuntur.

DISTINCTIO VII.

Deinde quæ singulis sententiis adversari videntur ponit.

Quo sensu dicitur Christus prædestinatus.

Quod non debet dici homo dominicus.

DISTINCTIO VIII.

An divina natura dici debeat nata de Virgine.

De gemina nativitate Christi qua bis natus est.

DISTINCTIO IX.

De adoratione exhibenda humanitati Christi.

DISTINCTIO X.

An Christus secundum quod homo sit adoptivus filius.

An persona vel natura prædestinata sit.

DISTINCTIO XI.

Utrum Christus sit creatura, vel factus.

De perfidia, & pœna Aarii.

DISTINCTIO XII.

An homo ille semper fuerit, vel coeperit esse.

An Deus alium sumere potuerit, vel aliunde, quam de genere Adæ.

Si homo ille potuerit peccare, vel non esse Deus.

Oppositio quod etiam unita potuit peccare.